

Ballenstedt : Dr.
Fried. Nölken.

1755



7524

3.
71
DE
VITA SCRIPTIS ET MERITIS
JOHANNIS FRIDERICI
NOLTENII

LYCEI SCHENINGENS. RECTORIS

SCHEDIASMA

M. JOH. ARNOLD. BALLENSTADII



HELMSTADII

APVD CHRISTIANVM FRIDERICVM WEYGAND

MDCCCLV

No 3500

LIBRARY OF THE
COLLEGE OF MERTIS
MOLINAS ET FRANCICI

LIBRARY OF THE COLLEGE OF MERTIS

LIBRARY OF THE COLLEGE OF MERTIS

232

LIBRARY OF THE COLLEGE OF MERTIS



Si NOLTENIVM, Virum in omni litteratura, et in artibus, quae ab-humanitate nomen gerunt, limatulo judicio, A-thenaei nostri quondam, immo litterati orbis totius decus immortale, morte nec opina nobis ereptum, non alia re nomen suum memoriamque aeternitati commendasse judicaremus, nisi carminis condendi arte; minimam certe meritorum ejus partem adsecuti videremur: quum major sit laus, qua tantum non omnes ipsum ornant. Qui enim frequentes cum illo fuerunt amici atque collegae, omnes uno ore adfirmant, plurimam doctrinam in ipso, juxta ac animi optimi indolem, quae innocentiam hominis fa-

ndat

A 2

tis

tis declarat, pari passu ambulasse: omnes fatentur atque etiam profitentur, illum decus omne virtutis, religionem vitae cum sapientiae laude summa junxisse. Ac mihi quidem si quis unquam paedotriba scholam regendi artem satis cognitam habuisse visus sit; unus hic noster, et juventutis studiosae deliciae, et sui ordinis ornamentum, hanc vel omnium maxime in promptu habuisse, semper judicauit: quum, quicquid egerit, idemtidem scholae incrementum atque comoda spectarit, ut neque in vita omni genere virtutis, neque in cathedra virtutibus illis cardinalibus, pietate, prudentia, rei litterariae scientia atque patientia concordiaque, quisquam ex omnibus iudicagistris, quos fama diu celebravit, huic nostro omnino sit anteponendus. Quum vero de talibus, et in ordine suo insignibus ad laudem viris nihil obscure nunciari debeat, quoque plura sint virtutis et industriae ornamenta, tanto magis ea in lucem protrahi deceat: nemo nobis vitio vertet, si in Vitae hujus Viri enarratione vel ea, quae minora multis videantur, interdum proferamus.

Natus est NOLTENIUS in molendino nescio quo, haut procul Eimbecca, Principatus Grubenhagensis metropoli, sito, quum matrem, iter ingref-
lam,

fam, partus dolores p[re]evenissent, anno scilicet nonagesimo quarto saeculi superioris, d. XV. m. Julii. Patre usus est PAVLO MARTINO NOLTENIO, hujus saeculi poëta satis illustri, quemque doctarum hederae p[re]mia frontium fecernebant populo, humanitatis in Lyceo nostro doctore quondam primo atque strenuo; matre vero ANNA DOROTHEA BETTENIA, M. HENR. BETTENII, Alshusani quondam Praesulis filia, JOH. JAC. KOENIG, Pastoris Huldersani in Grubenhagensi Principatu, eoque extincto, PAVLI MART. NOLTENII, uxore. Beatus Vir in convictu atque consuetudine impensius eam laudare solebat, quod pietaris studium, quod in primis coluisse, una cum lacte sibi instillare cooperit, fari inclem tam insuper accusans, quod eadem vix annum septimum ingresso sibi morte praerepta fuerit, omni educationis molestia in patris recidente curam: Donec ad secundas nuptias animum adpelleret parens, cum ELISABETA DOROTHEA BUTNERIA coniunctas, quae et ipsa educationis operam et alterum PAVLO MARTINO filium suscepit, non minus, quam natu majorem de re litteraria summopere meritum, dum viueret, RVDOLPHVM AVGVSTVM, Ducis Nostri Serenissimi CAROLI a libellis, quem Re-



gistratorem vocant Archiu*i*, *Commercii Litterarii*, et pluri
um libellorum scriptorem non invenustum; cuius viri,
a. 1703. Scheningae nati, anno vero 1752.d.XV.Sept.
Wolfenbutelae morte nec opina rapti gratus hic reco
lo memoriam, quod arctum mihi cum ipso, in urbe
Guelfica quum degerem, amicitiae erat vinculum.
Avus nostro obtigit JOHANNES NOLTENIUS, alias
OLORINO (*) diētus, Brunsvigas, Po. Laur. Caesareus,
scholae patriae Aegidianaē primum ConRector, Pa
stor deinde per quinquaginta annos Timmerlagae,
haut procul Brunsviga, et S. Ministerii per dioecesin
ab ilice diētam, Senior, natus a. 1635. m. Dec. demor
tuus

(*) De nominationis istius, us et insignium, quibus *Nolteni* utun
tur, rationem hanc ex ipsius, qui primus ea in familiam intu
lit, jo. NOLTENII ore cognoscere juvat. Is enim, diplo
mate archetypo per incendium amissio, nec nisi ligula serica,
auro distincta, nomineque *Olorino* intertexta, mirandum in
modum ex igne seruata, in filiorum suorum, et si qui futuri
sint, nepotum gratiam, versiculos hosce insignium exemplo
subjicit :

Quis gerat, hic quae picta vides, *insignia*, queris,

Dicam : NOLTENIO RISTIVS illa dedit.

RISTIVS ille, Sacri Comitem vocitare Palati

Quem sacra Romani Cæsarisi aula jubet.

Is simul et *Cyonum* dedit, et *tria laurea sertæ*,

Hunc quum maclaret Vatis honore virum,

tuus vero a. 1714. d. 24. Januar. cuius vitam a nepo-
 te conscriptam infra indicavimus. Aviam habuit D O-
 ROTHEAM SCHWABIAM, PAVLI SCHWABII, Ec-
 clesiarum Scholarumque Brunsvicensium tunc tem-
 poris, ut vocabant, Coadjutoris, vel si mavis, Vice-
 Superintendentis filiam unicam. De cuius numerosa
 prole, sedecim enim liberorum felix mater fuit, vi-
 desis vitam JOHANNIS NOLTEII. Evidem nihil habeo,
 quod addam, nisi quod HENRICI ER-
 NESTI, Pastoris Timmeragensis filius, JOHANNIS
 nepos, JOHANNES RVDOLPHVS, Vir de universa
 re sacra nostra meritissimus, primum Gardelegiensis
 Scholae Rector, tum in eadem urbe Diaconus, Ve-
 teris Marchiae Superintendentis Generalis, Prignitiae
 Inspecto et Stendaliae metropolis Pastor Primari-
 ius, haut diu patrueibus suis JOHANNI FRIDERI-
 CO et RVDOLPHO AVGVSTO fuerit superstes; vi-
 ta enim 1754. d. VIII. Dec. discessit. De proavia pa-
 terna et quidem altera, ELISABETA MEDERIA,
 PAVLI SCHWABII Conjuge, non possumus non hoc
 loco mentionem injicere; Filia enim fuit DAVIDIS
 BERNHARDI MEDERI, Pastoris Neukircha-Bornu-
 mensis Misniae ex ELISABETA PFAHLERIA;
 neptis vero DAVIDIS MEDERI, Superintendentis
 Ohrin-



Ohringa-Hohenloensis, qui duorum et septuaginta Verbi Divini ministrorum primus fuit, qui Formulae Concordiae subscripsit, et in conjugio cum CATHARINA MOERINGERIA, HERMANNI MOERINGERI, saltuum in Episcopatu Herbipolensi Praefecti, filia vixit. Proavum nactus est HENNINGVM NOLTENIVM, mercatorem Brunsvicensem, cum quo nupta fuit ELISABETA HARTMANNIA, CHRISTOPHORI HARTMANNI, Senatoris Brunsvicensis filia; Abavum vero GEORGIVM NOLTENIVM, Bruxellis oriundum, Brunsvigae mercaturam facientem, quo ob inauditam Ducas Albani, tunc temporis illic saevientis, tyrannidem aufugerat. Igitur quid de antiquitate Familiae NOLTENIANAE existimemus, quum sit in promtu; ex illis enim una est, quarum origines ex Belgio sunt repetundae; quod in B. SALIGII vita prae nobis jam tulimus; nunc de materno quoque B. NOLTENII genere pauca addere liceat. Id quidem ita sese habet. Matri ANNAE DOROTHEAE pater obtigit M. HENRICVS BETTENIVS, Alshusanus Superintendens, qui conubio secum junxerat CATHARINAM HECKENBERGIAM, filiam FRIDERICI HECKENBERGII, monetae cudendae in Hercyniae tractu Praepositi, quem Dire-

❧ ❧ ❧

DIRECTOREM vocant, cui veteris profapiae virgo, CATHARINA de STAIN, fuit collocata. Proavum maternum natus est HENRICVM BETTENIVM, Alfeldensem Pastorem, qui in matrimonio habuit ELISABETAM a PEINE, patricii stemmatis, quod Bruns-vigae floret, matronam.

Huic igitur Familiae ortum debebat, de qua, si alia mittamus, hoc certe singulare observamus, quod pater atque filius in eadem, JOHANNES & PAVLVS MARTINVS, ob ingenium fundendique carminis artem uterque laurea donati fuerint. Quid? quod ipse nepos JOH. FRIDERICVS eum honorem etsi oblatum sprevit, tamen prae multis aliis meruit. Pueritiae annos Wolfenbutelae exegit: inde a. MDCC cum patre, annum VII agens, Scheningam migravit. Qui quum in hac urbe litteras elegantiores magna nominis celebritate et laude publice docere coepisset, Conrectoris spartam natus, filium quoque suum iis disciplinis, quibus puerilis aetas imbui solet, instituendum curavit. Nec is quidquam praetermisit, quo minus omnes ingenii, aetatis industriaeque nervos in eo contenderet, ut doctorum suorum, Jo. Bernhardi GOETZII, Rectoris, Sigism. Andreae CVNONIS, tum Conrectoris, et Jo. Philip. SCHROEDERI, Sub-

B

ConR.



ConR. parentis in primis ConR. et Rectoris spartam
ornantis, praestantiam imitatione consequeretur. Ita
factum, ut annum XVII nondum egressus tantos
jam in elegantiorum litterarum cultura fecisset profe-
ctus, ut ab omnibus aliis, non vero a parente, ma-
turus judicaretur, qui scholam cum academia muta-
ret. Laudatus enim hic vir ex eorum hominum nu-
mero erat, qui praeproperam profectionem in acade-
mias plane abhorrent. Illi enim, dum revocare a
cupiditate ista juvenum mentes student, succum in eo
esse diuturnum negant, quod nimis celeriter maturi-
tatem adsequatur. *Admodum salutare esse scholastico*
dicunt, haerere satis diu in subselliis scholasticis, et re-
vereri publicos magistros, nec protinus, curriculo ut-
cunque finito, cruda fere adhuc studia humanitatis pro-
pellere in academias, et ad altiora praecepiti animi consil-
lio velle eniti. PAVLO igitur MARTINO JOH. FRI-
DERICVS nondum maturitatem suam habere videba-
tur, qui in iis scientiis, quae ob excellentiam suam
superiores audiunt, in academia quadam illustri insti-
tueretur, annos XVI licet jam explesset. Nec inju-
ria: haut enim quidquam fecit reliqui parens, quod
ad formandum ludi moderatorem pertineret. Hoc
quum spectaret, hoc quum vellet, opus erat quum
lon-

longiori in scholis spatio atque curriculo, tum accuratiori istorum hominum, qui ratione docendi aliis praestarent, intelligentia.

Haec quum esset parentis ratio, filius auctoritatem ejus et consilium secutus, primum Brunovicum se contulit. In hoc negotiis atque humanitati apto domicilio tum temporis, anno nimirum MDCCXI artes optimas profitebantur viri de re scholastica meritissimi, Frid. WEICHMANNVS, Gymnasii Martiniani Rector, et Daniel POHLMANVS, Gymnasii ejusdem ConRector, quorum in disciplinam quum se dedisset Noster, utrique aequae carus erat; illi pro jure amicitiae, quae inter ipsum atque Nostri parentem intercesserat in curriculo scholastico; huic quum ob cognationis vinculum, quo coniuncti erant inter se; tum maxime ob enixum litterarum studium. Quod quum reliquis omnibus satis probasset, tum maxime praceptoribus suis; tamen specimen diligentiae aliquod documentumque luculentissimum ingenii & progressuum in artibus, antequam scholae isti valediceret, voluit existare. Opportunum ita accidit, ut hoc anno CAROLVS III. Hispaniarum atque India- rum Rex, post electionem legitime factam, Romanorum Imperator sub CAROLI VI. nomine Francofur-



ti; more consueto, inauguraretur. Hanc occasionem suam esse ratus NOLTEIVS, devotissimum Potentissimae Domui Guelficae, Principibus praesertim Serenissimis, Dominis ANTONIO VLRICO, CAROLI Imp. Proscero, et LVDOVICO RVDOLPHO, Socero, testificandi animum, actum ipsum oratione ligata, cum Latina, tum domestica, linguis celebravit, quae ipso Duce Seren. ERNESTO FERDINANDO, praesente a confessu amplissimo magno cum plausu fuit excepta. Videsis Programma Frid. WEICHMANNI, vario metri genere constans, huic actui praemissum, et Brunsvigae una cum Panegyrico WEICHMANNI eodem anno forma maxima typis exscriptum.

Brunovico se contulit Gotham. Illustre Gymnasiūm Gothanum nulli totius Germaniae et doctorum claritate, et alumnorum disciplina rectiore frequentiaque, et optimorum institutorum exercitio, quae Principi Suo Nutritori Serenissimo, ERNESTO Pio debet, tum temporis cedebat. Princeps hic in tantum laudandus, in quantum virtus vitaque sanctitas intelligi potest, scholam istam non solum p̄aeclaris teatris, ornatissimis artium variarum palaestrīs, firmissimisque columnis exornaverat; sed doctrinarum egregiarum

rum

rum foecundissima scripta, ut sermonis utriusque optimos scriptores, Historiae Eccles. Compendium, Logicam, Physicam, Grammaticam Lat. Vocabularium, Latinitatis Scholam, sacrarum profanarumque scientiarum systemata omnia ingentibus impensis componis excudi et dissentium emolumento introduci juss erat.
Praeterea ordinaria quum magistris stipendia solvenda, tum novas accessiones et commoda iis decernenda curaverat, magistrisque novis, utpote Collega Classis Selectae, Sub Conrectore, Coenobii Inspectore, Praeceptoribusque Germanicis Collegio aucto effecerat, ut in singulis classibus supremis quinque professores per vices juvenitatem publice docerent. Pietatis ERNESTINAE leges FRIDERICIANA sapientia et clementia conservatae erant. Ita factum, ut ad Illustre hoc Gymnasium undequaque frequentes et ab exteris terris confluarent. Florebat tum Gymnasium Viris Celebb. Gothofredo VOCKERODT, Rectore, et Jo. Conr. KES LERO ConR. Hoc satis caussae NOLTENIO poterat esse, cur Gotham abiret; sed et alia fuit. Vir nimirum reverenda dignitate variaque doctrina praestantissimus, pietatis adsertor strenuus, Georgius NITSCHIUS, Eccles. et Schol. Gothan. Saxon. Duc. Antistes Generalis et Consistorii Assessor ab A.



MDCCIX in hac urbe sedem ac domicilium consti-
tuerat. Quum Wolfenbutelae Verbi Divini praeco-
nem ageret, arctam cum parente Nostri amicitiam co-
luerat, ipsique fuerat auctor ad mittendum eo filium,
quo pietatis et litterarum celeberrimam illam offici-
nam ejusque leges rationemque disciplinae, nosceret.
Tanti atque talis viri auctoritas igitur satis apud **NOL-**
TENIVM ponderis ad iter ingrediendum habebat.
Nec eum consilii poenituit; simulatque enim Gotham
venit, hunc Praesulem humanitate sua adeo cepit, ut
ab eo cupidissime statim reciperetur, gratis domi ejus
habitans, gratuitoque convictu ipsius usus. Vixit vero
in castissima hac domo ita, ut et ad optimarum artium
studia adsidue incumberet, et quum **NITSCHIO**,
tum reliquis, in maxima dignitate constitutis homi-
nibus, quibus a Praesule commendatus erat, atque
optimo cuique fuerit probatissimus. Viris enim illu-
stribus ac celeberrimis Gothae tum commorantibus,
ad convivia quoque, quae iis idem tidem parabat
NITSCHIUS, ab ipso invitatis, Nostro simul inter
convivas istos admisso ansa dahatur, in eorum noti-
tiā veniendi, atque fautoribus iis utendi. E quibus
nominare jam liceat Virum Perillustrem Jo. Frid. **BA-**
CHOVIVM, L. Baronem ab **ECHT**, Sereniss. Ducis

Saxo.

Saxonici Gothani Consilii intimi Directorem, Consilia-
 ri Imperii aulici quoque splendidissimo axiomate ab
 Augustissimo Caesare LEOPOLDO decoratum, Vi-
 rum ad laudem maxime insignem: Virum item Per-
 illustrem Georg. Melch. de LVDOLPH, summi apud
 Germanos Tribunalis Assessorem: Virum item sum-
 me Reverendum atque Doctissimum Jo. Henr.
 FEVSTKINGIVM, Principis a concionibus Aulicis;
 Illustrem et Summe Venerabilem Virum, Ernest. Sa-
 lomon. CYPRIANVM, Venerab. Protosynedrii Fri-
 densteinensis Propraefidem, tunc Gymnasii Illustris
 Casimiriani, quod Coburgi floret, Directorem; D.
 REDELIVM, Antistitem Altenburgensem; M. Jo.
 Hieron. WIEGLEBIVM, Past. Glauch. & reliquos.
 Vnus Tobias PFANNERVS, a Consiliis Ducum Li-
 neae ERNESTINAE, Jctus insigni pietate com-
 memorandus, numquam adduci poterat, ut nostrum
 admitteret; et si nullam hebdomadem praeteriret, qua
 domum ejus non intraret, quum saepius ad eum ab
 Hospite suo mandata haberet. Neque vero Viri in-
 humanitati, nec odio sui hoc unquam tribuit NOL-
 TENIVS, sed vel imbecillitati nescio cui, quae adeo
 eum fregit, ut perpetuo detineretur lecto, vel etiam
 temptationibus ejus gravissimis, quibus impeditus ne-
 minem,



minem, praeter NITSCHIVM, paucosque praeter ea, quibus fidem habebat, et coram quibus lacrumanus peccatus suum exonerare poterat, admittere consueverat. Tot beneficiis igitur a NITSCHIO adfescetus et filii paene loco habitus Noster, ut crimen integrati, quod semper aversatus est, plane effugeret, Hospiti huic suo in describendis scriptis, evolvendisque libris quasi quidam studiorum ac laborum socius, et in instituendis in Doctrina saniori, Historia et Geographia quinque ejus filiabus, Illustris illius Godofr. Guil. SACRI, neptibus, operam dedit. Ex quibus satis patet, quae vitae consuetudo Gothae illi fuerit, et quomodo in curriculo suo versatus sit; quum non tantum diatribis scholasticis tempus consumserit, sed et rebus aliis, quae hujus aetatis tironibus in usu non sunt, operam impenderit. Is quidem hujus vitae suae tam laudabiliter aetate fructum tempore suo maximum cepit.

Etsi vero urbs ipsa totque commoditates, quibus in illa fruebatur, ipsiusque NITSCHII desiderium tam bonae mentis adolescentem secum retinendi, eum ad commorandum ibi diutius allucere poterant: tamen voluntas parentis intercedebat, qua in aliud Gymnasium, Berolinense nimirum, quod a JO-

ACHIMO



ACHIMO FRIDERICO, Electore Serenissimo, ejus
 fundatore, nomen accepit, avocatur. Patris illud
 consilium in filium amori singulari tribuendum erat,
 quippe qui futurum scholae doctorem formare in ani-
 mum induxerat, adeoque ne maturum quidem etiam-
 num ei videbatur tempus ita, ut in academiam filium
 mitteret. Favit fortuna ausis; gratiam enim Viri
 Perillustris Marquardi Ludovici de PRINZ, Supremi
 in Aula Berolinensi Mareschalli, Directoris Summi
 Gymnasii Joachimici, favoremque Viri Summe Re-
 verendi, Samuelis Christiani TEVBERI, Superin-
 tendentis Generalis Principatus Halberstadiensis, sine
 negotio expertus, sodalibus hujus Gymnasii, qui pu-
 blice ibi aluntur, adscriptus est. Scheninga igitur,
 quo se receperat, Gotha revertens, A. MDCCXIII.
 die, angelorum principi ab ecclesia decreto, Beroli-
 num petiit, ibidemque illustres Doctores atque Pro-
 fessores cum fructu audivit, in quibus Beatum Virum
 nominare memini VOLKMANVM et MEIERVM
 OTTONEM. Aliquoties cum his quoque palaestram
 disputantium ingressus est, ita, ut modo respondentis,
 modo opponentis partes his ducibus suis sustine-
 rer. Quodcunque vero tempus operis exercitationi-
 busque scholasticis suffurari poterat, id omne lectioni-

C

atque



atque excrationi librorum, quos Bibliotheca Electoralis servat, diligenter impendebat. Sex menses Berolini commoratus est, nec amplius, quum a Parente domum revocaretur. Nec tamen prius discessit, quam orationem, qua gratum erga Praeceptores Patronosque animum testaretur, publice recitaret. Quae quidem panegyris nostro adeo sollemnis, tamque digna visa est, ut ipsa tironum nomina, qui una cum eo ad dicendum prodibant, memoria retinuerit. Erant autem omnes equestri loco nati, veterumque profapiarum juvenes, Baro Otto Albertus a SCHOENAUICH, Joh. Georg. a MARWITZ, Frid. a GERSDORF, Frid. a SCHNITTER, Frid. Magnus Carolus a RHEZ, et Otto Sigism. a STVRM, quod non parum interfuit ad actus hujus decorem augendum. Mos ita traditus est ab Ephoris Joachimici Gymnasi, ut tironibus tale profectuum suorum documentum edentibus librum dono dent. Igitur et Noster tali praemio donatus abiit, nimurum Joachimi II. CAMEARI, Medici Norici, Centuriis IV. symbolorum et Emblematum Ethico-Polit.

Sic ab optimis litteris quam pulcherrime instrutum et in quatuor Gymnasiis a peritissimis Magistris formatum exceptit tandem Alma Julia, anno supra mille.

millesimum septingentesimum XIV, circa tempus, quo Christi in vitam revocati agitamus memoriam. In hac Academia, quos audiverit doctores, quibusve interfuerit scholis, aut quibus amicis usus sit, longum est minusque necessarium dicere. Ita enim doctus, ita institutus erat NOLTENIUS, ut animo fuisse omisso, aut languori desidiaque se dedisse non existimandus sit. In primis tamen carus erat celeberrimi nominis Doctoribus Christophoro Henrico RITTMERIO, et Andreae Julio BOETTICHERO, illi Theologo, huic Medico: quorum uterque liberaliter eum tractavit, beneficiisque prosequutus est; ille tamquam hospes et praceptor; hic tamquam patronus optimusque evergeta. Quantique a BOEHMERO, quante ab HARDTIO, at quantis Viris! fuerit aestimatus, operaे pretium erit, commemorare. Iustus Christoph. BOEHMERVS enim, quum Oratio a NOLTENIO de *Vsu et Abusu Poëeos* in Juleo Majori memoriter recitaretur, Programmate eam ob rem A. MDCCXVI. Cal. Jan. edito, hoc elogio eum manifestavit: *Eorum in numero* (qui Poëticen haud segnitate amant) quoque est, quem in publicam academiae lucem producam, praeclarae indolis ac doctrinae juvenis, JO. FRID. NOLTENIUS, Scheningensis, Sacrarum Litter.

❖ ❖ ❖

doctrinæque coelestis cultor adsiduus, qui paterno exemplo hortatuque juxta cetera politioris humanitatis studia, poësin etiam diligenter colit, quemque usum illa praebeat, et quam perverse eadem ac turpiter nonnulli abutantur, brevi, nec incomto sermone Latino, quem ex prompta habebit memoria, nunc demonstrabit. Solus ille conscripsit hanc suam orationem, quod sincere testor, nullæ ne minime quidem mea, opera hac in re adjutus; vitaeque integritate ac decori moris cultu se bonis omnibus hic adprobavit per biennii fere spatium, quod apud nos in divinioribus humanioribusque litteris laudabiliter exegit.

Et HERMAN. von der HARDT, Vir nunquam sine honoris praefatione nominandus, eodem tempore non minus, liberali juvenis ingenio captus, quam carus sibi ille sit, publico testimonio, *Equus Trojanus*, NOLTENIO publice in poëtas differente, inscripto, non obscure declaravit. Editus hic *Equus Trojanus* junctim una cum aliis HARDTI scriptis in Jona ejus A. MDCCXXIII. forma maxima comparet. Idem maxi-
mi nominis Vir jam antea A. MDCCXV. Nostro Lau-
ream Poëticam sua sponte obtulerat, quem tamen ho-
norem ille, vel indignum se eo, vel ab hujus aetatis
hominibus alienam eam laudem judicans, deprecatus
est,

est, his, quae sequuntur, distichis subito atque ex tempore fusis :

Nomine me gestis tituloque ornare poëtae,

Temporibusque meis laurea sarta dare,

Patris Avique mei ut possim sic aemulus esse,

Et parili passu laudis inire viam.

Verum euidem novi, quam sit mihi curta supellex;

Nomine me dignum hoc non satis esse reor.

Sum juvenis, puras qui vix Aganippidos undas

Gustavi primis, Magne Patrone, labris.

Tum quoque consensu nondum hac in parte Par-

tentis

Est mihi, quem pietas ipsa timere jubet.

Da magis hanc meritis, Venerande Patrone, co-

ronam:

Non ego sum vates; non ego dignus ea.

Interea persolvo imo de pectore grates

Pro tanto affectu, pro bonitate Tua,

Quod Tu me dignum, Summe Reverende Brabeuta,

Caesarei insigni vatis honore putas.

Vive valeque diu seros in Nestoris annos,

Noltenioque, precor, perge favere Tuo.

Ex quo intelligi licet, quam carus doctissimo cuique fuerit, et quarum rerum studio, quantum per vale-

C 3 tudi-



tudinem licuit, qua valde infirma usus est in academia, retentus sit. Nunc enim scholas, sive Theologicae fuerint, sive Philologicae et Philosophicae, avide frequentantem; nunc in splendido Patrum Academiae ejusque Civium confessu perorantem; nunc versibus ludentem; nec vero non interdum etiam cathedram disputantium concorrentem videmus. Sic A. MDCCXVI. *Animadversiones Exegeticas*, inquire iis *Disquisitionem VIII.* RITTMIEIERO Praeside, copiose defendit. Sic anno eodem *specimina de Fractionibus et Lineis*, WIEDEBVRGIO conflictum dirigente, disputantium ritu argumentando probavit. Ut ne addam, quod saepius cum iis, qui respondentium partes sustinere solent, in arenam descenderit, tamquam ex contrario contendens.

Sed

Has inter curas, medio flagrante labore,

Ecce supervenit Scheninga moestus ab urbe
nuntius, Parentem, quem pro eo, ac debebat, unice
amabat, morbo conflictari, quo etiam oppressus haut
multo post d. XXII. Dec. A. MDCCXVI. diem su-
prenum obiit. *Vsque adeo nulla est sincera voluptas*
sollicitumque aliquid laetis intervenit. Morte enim
Patris praematura, quippe qui vix annum aetatis

XLIX

XLIX ingressus erat, de medio cursu revocatus sibi
 rebusque suis alia ratione consulere coactus est. Erat
PAVLVS MARTINVS, Parens, non civibus modo
 magnopere carus probatusque ; sed multum etiam
 apud Ipsum Principem, **AVGVSTVM GVLIEL-**
MVM, Patriae Patrem Clementissimum, gratia atque
 auctoritate valebat. Princeps itaque, quotiescumque
 Langelebiae, secessu quodam haut procul Scheninga
 sito, commoraretur, eum ad se evocavit, verbaque
 pro concione sacra facientem idemtidem audivit. Eam
 occasionem suam rati, qui propinqua cognatione at-
 tingebant Nostrum, litteras supplices ad Serenissi-
 mum Ducem dederunt, quibus ConRectoris spar-
 tam vacantem ipsi petierunt et sine negotio impetra-
 runt. Non enim diu multumque Princeps cunctatus,
 ut commodum erat, precibus cognatorum **NOLTE-**
NII annuit, munusque petitum ei deferri jussit. Suc-
 centuriatus itaque Viro Clarissimo Sigism. Andreeae
CVNONI, qui ConRectoris Spartam in hac schola
 ab A. MDCCVII. ornaverat, nunc vero in Paulli
 Martini **NOLTENII** locum surrogatus erat, A.
 MDCCXVII. d. XXV. Ian. a Viro summe Veneran-
 do, **Conr. Casp. TILEMANNO**, Principis a Consi-
 liis Consistorii et Scheningensis Ephoriae Antistite,
 rite



rite introductus est. Ita acerbissimus e Carissimi Parentis obitu dolor etsi non sublatus ; tamen quodammodo mollitus et levatus erat: id quod amicis ejus non poterat non gratum esse acceptumque, certatim ad gratulandum ei advolantibus. Publice vero hoc ei officium praestitit Vir Plurimum Reverendus Ioachimus Ernestus STEIN, tunc Theol. SS. cultor, jam vero ecclesiae, quae Christo in Marchiae Vkeranae pago Drensen colligitur, Pastor, in Epistola ad NOLTENIUM Helmstadii MDCCXVII. 4. de Polymathia Adfæcta, in lucem edita.

Magna tunc temporis alumnorum frequentia schola Scheningensis celebrabatur, multis discipulis e terris vicinis maxime Borussicis eo confluentibus. Maximam praeterea partem barbati erant tum scholastici, e quibus nonnulli plures, quam ipse novus magister habebant annos; annum enim is secundum agebat et vigesimum, quum ConRectoris partes in se suscipieret. Accedebat, quod statura breviore esset. Quae quidem res licet quemque alium, vel maximi animi divinique ingenii hominem, deterrere a provincia satis dura potuissent; Noster tamen adeo istis omnibus nihil est commotus; animum enim, quod de PHIL. MELANCHTHONE refert CAMERARIVS, ingen-
tem

tem in corpore pusillo gerebat: ut potius muneris sibi demandati officium, ope divina et recte factorum conscientia fretus, maxima cum laude compleverit. Non enim solum pietatis et bonarum artium disciplinas, juxta humanitatis et Linguae Romanae studium, cuius puritatem sedulo inculcabat, cum fide et dexteritate juventutem docebat, eamque ad genuinam eruditio-
nem excitabat; sed vitae quoque innocentis exemplo morumque probitate auditoribus suis laudabiliter prae-
luebat. Et quum non ignoraret, quanta vis ordinis esset in utramque partem, vel ad disciplinarum nexum servandum, modumque studiis adhibendum, vel ad ipsam bonarum mentium culturam; nam solem e mundo sustuleris, si tollas ordinem: ejus ita studiosus erat, ut omnes lectiones suas non modo disponeret tempore oportuno, statis eas horis doceret, earumque spatum neque anticiparet, neque abrumperet, sed etiam primus omnium scholae nostrae doctorum esset, qui preces et cantilenas, quibus horae distinguuntur, in ordinem redigeret, easque publici juris faceret. Ipse de ordinis hujus necessitate in scholis et usu in praefatione libelli, eum in finem vulgati, pluribus egit.

Sed et rem familiarem suam, postquam scholasticam constituerat, ut curaret melius, nihil faciebat re-

D

liqui.



liqui. Quum enim animus ejus in provinciae, ipsi
 mandatae, recte administranda rationem unice inten-
 tus esset, rerum domesticarum, non ita, ut e re sua
 esset, rationem habere poterat. Eam igitur ut nihilo
 secius recte ordinaret, Anno MDCCXXII. vitae sibi
 sociam, in eaque re adjutricem legit virginem, cuius
 in genis pudor excubabat, et in quam spectata pietas
 virtusque, quod habuit, omne contulerat, nempe
 ELEONORAM ELISABETAM CVNIGUNDAM, viri
 quondam Plurimi Reverendi M. Aug. Friderici
 SCHNEIDERI, Ecclesiae, quae Christo Wegelebiae
 colligitur, Pastoris Primarii, relietam Filiam natu
 maximam, eamque die XXI. Apr. domum duxit. Erat
 illa ex ANNA EVPHROSYNA KOCHIA nata; quae
 Thomae KOCHII, Cos. Halberst. et Mariae Hede-
 wigiae ALSLEBIAE filia erat. Avo vero viro summe
 venerabili Io. Conr. SCHNEIDERO, S. S. Theol.
 Doctore et Eccl. Cathedr. Halberst. Pastore Primario,
 et avia Anna Catharina LANDGRAFIA prognata,
 duorum filiorum Beato Marito Mater, nunc Vidua
 moestissima. Qui superstes Patri est Filius unicus IO-
 ANNES ANDREAS, Iuris studio in Iulia Carolina et
 Fridericana, ejusque dein exercitationi usuique forensi
 operam Berolini et in patria, Scheningae atque Wol-
 fenbu-

fenbutelae dedit, nunc vero, dum haec scribebam,
 Brunsvigam a Serenissimo Duce CAROLO evocatus a
 libellis ipsius, quem Registratorem dicunt, esse coepit;
 quum vero vix dum triginta dies hanc spartam orna-
 set, Civitatis Blançoburgensis Consul a Principe suo
 Clementissimo renuntiatus est. Ceterum quam suave
 hoc conjugium fuerit, ejus rei nullum majus testimo-
 nium adferre possum, quam quod nunquam in gratia-
 cum ELEONORA sua redierit. Erat enim, quod in-
 ter nos omnes satis constat, *par conjugum incomparabile, et*
modestiae sanctissimae et suavissimae ingenuitatis et gratia-
rum venerumque conjugalium exemplum perfectissimum.
 Igitur fortunatum se ipsum satis NOLTENIVS; nemo
 non vero terque quaterque beatum ipsum praedicabat.

Qua conditione quum esset, nec minori fama, am-
 plificandae fortunae ac dignitatis sua facillimam ratio-
 nem in manibus habebat. Vita tamen otiosa delecta-
 tus amoreque scholae suaे ductus, omnibus condicio-
 nibus, quae ei ferrentur, repudiatis, ipsam satis lau-
 tam Rectoris provinciam nunc Hamburgi, nunc Bruns-
 vigae vacantem, ultro sibi delatam recusavit, atque
 ita per annos XXX. scholae huic pro Rectori prae-
 fuit, eoque tempore et Principi suo et scholae ipsique
 Rectori, et Collegis, cum quibus quam amicissime vi-

xit, satisfecit. Viro autem Clarissimo, Sigism. Andr. **CVN ONE**, Lycei hujus Rectore quondam meritissimo d. VII. Dec. rude donato, noster ad Cathedram hoc modo vacantem et ad docendum in ea iisdem tabulis, quibus ille missionem acceperat, a Duce Serenissimo **CAROLO** invitatus, recusare non debuit; sed, ut illud animi, rebus suis contenti, fuerat, omnes alias conditiones a se rejicere: ita hoc sapientis et ad sanctae religionis leges recte instituti hominis, voluntati Principis, quae est Dei, mandatisque ipsius clementissimis non adversari. Initatus itaque more institutoque A. MDCCXLVII. d. XIV. Febr. a summe Reverendo Viro, IO. **BERNHARDO SCHROETERO**, Schening. Dioeces. Superintendentे longe meritissimo, Rectoris provinciam ita administravit, ut nimis longum foret, nimisque impeditum, singulas ejus regiminis partes persequi, aut expressam ipsius, tamquam probatissimi Ludimoderatoris effigiem relinquere velle. Vmbram tantum, quae ex beate Defuncti exemplo feratur, jam sequendam, imagineque ejus quali quali utendum existimamus. Vtinam non ad intuendum solum, verum etiam ad imitandum sibi omnes, qui scholae praeesse cipiunt, eam proponerent, mentemque suam ipsa cogitatione tam laudabilis magistri conformarent!

Quem-

Quemadmodum igitur is omnes pleni et perfe-
 citi rectoris numeros expleuisse putandus est, qui,
 quidquid agat, Dei gloriam, discipulorum salutem,
 quum vitae hujus, tum aeternam, totiusque scholae
 florem atque commoda spectet: ita de NOLTenio
 nobis adfirmare licet, eum hoc tam gravi nomine
 dignissimum fuisse. Ut enim Dei gloriam augeret,
 nomenque ejus celebraret, hoc jussit pietas, virtutum
 illa regina, vitae norma, felicitatisque omnis fons et
 origo, qua quidem illi nihil prius, antiquiusque ni-
 hil erat. Hanc religionis veram laudem et vitae in-
 nocentia, et sacra publica religiosissima servando, et
 preces ardentiſſime fundendo, et juventuti Numi-
 nis summi cultum sincerum omni tempore diligentis-
 sime suadendo, nemini non probabat. In officio
 vero suo ita versabatur, ut nihil praeter scholastico-
 rum commodum ipsiusque scholae florem ac digni-
 tatem propositum unquam habuerit. Quod enim de
 se Laelius Ciceronianus praedicat, quod nullo incom-
 modo suo ab officio umquam abduci se passus sit;
 nulloque casu, si valuerit, sibi contingere potuerit,
 ut illa muneric intermissio fieret, id vere de Nostro
 praedicare minime dubitamus. Siquidem tanti illi
 nihil erat, ut momentum horae periret officii: nam

D 3

dili-



diligentissime semper illos dies, quibus commentandi caussa veniendum in ludum erat, munusque illud suum obire solebat. Nec, quod a multis factum videmus, commodi alicujus adipiscendi, cogendaeque pecuniae caussa eam diligentiam adhibebat, sed religione veroque in juventutem amore ductus. Qui quidem amor, sicuti par est, paternum vel aequabat, vel non multum a parentum amore aberat. Non enim torvo aspectu, minacibusque oculis eos, qui in disciplinam suam traditi erant, intuebatur; non Catoniano supercilio respondebat, tamquam Orbilius quidam, quem Gratiis iratis plane natum dicas; sed vultu sereno, vocibusque blandis eos admonebat, nec nisi necessitate coactus gravius in immorigeros consulebat, adeo, ut neque austertas tristis, nec comitas ejus dissoluta esset. Qua in re multum certe adjutus est prudentia, vitae totius rectrice. Hujus enim magna vis est in utramque partem, vel ad recte tradendas artes, vel ad reprehensionem, vel ad laudem, quum est opus et quatenus. Sunt, qui prudenteriam vel mediocrem sufficere praceptor, vel omnino haud necessariam esse putant. Iste vero, nisi in errore maximo, omniisque explosione digno versari dicendi sunt; certe doctoris scholastici munus susque de-

deque habere videntur. Nisi enim prudentia artis-
que docendi peritia instructus quis recte fuerit, vel
auditoribus suis, vel ipsis munera consortibus; si
non ludibrio; attamen minori apud eos fama au^rorita-
teque erit: nec in ipsis tradendis artibus multum pro-
ficiet. Prudentia enim est, quae praceptorum tem-
poris et loci admonet, eique rationem, omnia cum
fructu agendi praescribit. Ea praecepit, quae studia
vel tractanda sint, vel sicco pede transeunda, vel
emendanda etiam. Ea indolis, aetatis atque profe-
ctuum rationem habet: ea, quando frenis calcaribus-
que sit opus, docet: ea, num laudibus sint excitandi,
an vituperiis sint corrigendi, te admonet. Qui NOL-
TENIVM perspectum habuit cognitumque, is vel re-
ctum in re scholaistica sensum, vel in consiliis optimis
constantiam haud requisiverit, aut desiderarit in eo.
Nam viam, qua et doctiores et meliores praestaret
juvenes, non solum habebat cognitam, sed etiam dex-
teritas accedebat, eam juventuti monstrandi, nec la-
borem nec operam subterfugiendi, qua ipsius com-
modis inservire posset. Quo quidem vitae genere
tantum effecit, ut incredibili pietate et cultu discipuli-
eum prosequerentur, ac summam, ceu parenti alteri,
haberent fidem; omnes vero et scholam prudenter
guber-



gubernando, et vitae innocentia optimi Rectoris munus obiisse dicerent.

Vtinam vero quam diutissime frui Lyceo nostro tali moderatore licuisset! neque aliter, atque existimaremus, accidisset. Vix enim anni aliquot elapsi erant, ex quo scholae praeesse cooperat, quum tantos virium defectus sentiret, ut de provincia ista se abdicando cogitare fuerit coactus. Ea autem virium imbecillitas non adolescentiae vitiis efficiebatur, quod saepius fieri solet; honeste enim, casta et sobrie exegerat aetatem istam: non senectutis; nondum enim sexaginta annos habebat; sed, si fateri verum licet, perpetuis in juventute vigiliis, quibus supra modum se anxerat, concatenatisque in schola laboribus, quibus per quadraginta fere annos se fregerat, imputanda est. Si quis enim praetereundo et quasi aliud agendo doctoris scholastici officium et munus cognoverit, is profecto haud inficias ibit; maximam ejus partem curis et laboribus absolui, quibus non magis animus, quam corpus frangitur. Id igitur in caussa fuisse videtur, cur toto hoc curriculo suo capitibus doloribus vertigineque laborarit, quae ultimo vitae tempore tantopere inualuit, ut saepius animo quasi praesagiente dictitare solitus sit, eam sibi mortem praeproperam minari.

minari. Nonnunquam enim interea , dum doceret,
ab infirmitate ea occupatus ira est , ut ad eam dissimu-
landam omne ingenium contulerit , omnique pectore
incubuerit. Sustinuit tamen , quoad ejus fieri potuit ,
mali hujus impetus vehementiores animo forti et praec-
parato , rebus suis ad omnem casum accommodatis ,
tantisper dum lingua , dumque pes officium praesta-
rent. Quum vero miserum diuturnumque morbi genus
ita ingravesceret , ut verendum esset , ne corporis to-
tius compage labefactata , vi ejus repentina aliquando
opprimeretur , auctoritate quum amicorum , tum
blandissimis Conjugis verbis permotus missionem
scholae petiit , quam utpote honestam atque caussa-
riam a principe Indulgentissimo , Iustissimo ejus meri-
torum aestimatorem , haud difficulter impetravit.

Nunc igitur laborum scholasticorum finis ad-
erat ; nunc calcem videbat , ad quam jamjam erat
decurrentum. Sed quamvis satis diu saxum hoc
Sisyphi voluisset ; tamen non , nisi quadrimestri spa-
tio perfecto , deponere personam secum constituerat.
Dies itaque , qui D. Iohanni in fastis sacer est , huic
solemnitati destinatus erat , quo scholae , quo discipu-
lis publice vale dicto , successori lampada tradere cu-
piebat : hunc diuturni laboris finem , hunc otii desi-
derati

E

derati initium adferre volebat. Sed antequam exoptatus ille dies veniret, quo abire schola decreverat, de medio excessit, atque in concilium coelestium abiit. Morte siquidem subita correptus inter coenandum, bis atque ter sternutans, cum ipsa sternutatione spiritum suum Deo reddidit, hora vespertina septima d. XII. Iunii, quum annos LIX, menses X, dies XXVIII. vixisset.

Talis fuit vitae cursus, talis exitus hujus Viri, qui priusquam per Tabulas publicas Venerabilis Protosy nedrii Nostri avocaretur, ab ipso Deo, tamquam summo Imperante ex statione sua avocatus et ad coelestis vitae gaudia evocatus est. Quem si quis a morte nobis raptum doleat; non tamen praeventum ab ea sciat: ipse enim B. V. ut saepe alias, ita et hoc fatali sibi eam die praedixerat, ut omnes intelligerent, minime vulgare mortis genus decere rectorem. Quum enim Imperatori et Praesuli magnae sit laudi, illi stantem, huic sedentem mori, quidni et rectori operantem et pro scholae salute excubantem? Vidimus enim B. Defunctum ipso die emortuali auditorii limen intrantem, nec praeter modum tristem, sed, ut consuetudo ejus serebat, animo alaci, vultu atque ore prompto: audi-
mus eum voce clara et contemta dicentem atque do-
centem: Vidimus calamum, quem vix ac ne vix, qui-
dem

dem moriens, ut de PLATONE relatum legimus, reliquerat, ultimam orationi sua valedictoriae limam adhibitus. Quid multa? laboribus ac studiis immorimentem vidimus.

Elatus est nocte concubia et jam ad lucem vergente, ut ipse praescripserat, sine ulla pompa funeris, comitante nemine. Sepultus est in Templi Monasterii Laurentiani, prope Scheningam siti, cuius Sub-Pri-or fuerat, loco adsignato, meridiem versus, juxta B. Parentis monumentum, quod ipse filius A. MDCCXVI. poni curaverat.

Quodsi vivendi finis hic habetur optimus a Cicerone, quum integra mente, certisque sensibus opus ipsa eadem, quae coagmentavit, natura dissoluit: certe B. V. eam ob causam vel in primis fortunatus praedicandus est. Ad extremum enim halitum in statione, quam Deus ipsi mandaverat, permanxit, nec de ea prius decessit, quam ab ipso Domino suo emissis esset atque evocatus. Quid igitur est, quod nimium praeter aequumque et bonum lugeamus mortem B. Rectoris? Quid est, quod a lacrulis vobis temperare non possitis, qui NOLTE NIVM sanguine et necessitudine aliqua attingitis? Quid enim? inquitis, tam carum nobis caput non lugeamus? cuius mors nobis satis acer-



ba futura fuisset, etiamsi aliquot annis post e vita dif-
cessisset; nunc vero multo acerbius nobis accidit, quod
otio, Clementissimi Ducis indultu concesso, ipsi minus
frui licuit. Sed perpendite mecum, ita summo Nu-
mini placuisse, ut in longe melius otium, quam illud
certe fuit, quod ei exoptabamus, transferretur. Vi-
vit enim nunc laboris omnis atque curarum expers.
Vivit ibi, ubi omnium munerum omnisque operae
schalaisticae vacatio plena est. Portum jam tenet, quem
dudum exspectavit. Quid enim aliud mors beatorum
est, nisi miseriae portus? *Portum*, inquit CICERO,
*nobis paratum et perfugium mortem putemus, quo uti-
nam passis velis pervenire liceat.* Licuit hoc B. defuncto
et quidem per Benignissimi Numinis voluntatem, cui
et nos parere debemus, et a qua veram medicinam
omnisque doloris oblivionem petimus merito. Nos
quidem omnibus expetimus votis, ut Deus T. O. M.
Viduam et Flium, ceterosque Beato Viro vel propin-
qua, vel longinqua cognatione conjunctos, omnes hoc
casu mirum in modum adflictos, solatiis suis divinis ita
erigat atque confirmet, ut non solum praeclarissime cum
ipso B. defuncto actum sibi persuadeant, sed et post
nubila phoebum exspectent, clementioraque in dies a
Divina Clementia, qua nihil certius nihilque majus
excogitari potest, laetioraque fata sperent vide-
antque.

SCRIPTA

SCRIPTA

A

B. JOH. FRID. NOLTENIO, R.

EDITA.

L I B R I.

I. Lexicon, Lat. Linguae Antibarbarum. Helmst. 1730. 8.

Alph. III. pl. VI.

Recusum Venetiis 1743. 8. Alph. II. pl. VII. Apud Joh.
Bapt. Recurtum.

Editio II. Lips. et Helmst. 1744. 8.maj. Apud Chr.Frid.
Weygand. Alph. III. pl. III. c. dimid.

Tres igitur hujus libri exstant editiones, de quibus sin-
gulis necessaria cognitu heic indicabimus.

Editionem I. ipse B. Auctior imperfectam minusque ex-
asciatam in Praefat. editionis alterius vocat.

Recensetur in Act. Erud. Lat. a. 1731. m. Apr.

Confer. Nova Litter. Lips. a. 1730. p. 199.

Editio II. Venetiis facta una eademque est cum priori,
si Titulum excipias, qui ita se habet: *Lexicon Lat. Lin-
guae Antibarb. in quo ex optimis hujus linguae auctori-
bus vera via ad puritatem scribendi loquendique panditur,*
auctore Joh. Fr. Noltenio, Anna-Sophiann. Schening.
ConR. Praemittitur ejusdem oratio de Hodierno Lat.
Linguae cultu negligentiori.

E 3

Ed.

Ed. III. ita locupletata, ita emendata et transformata est, ut plane novus liber videatur esse. Ne dicam de effigie B. Auctoris, de Praefatione nova quum Auctoris, tum alia Summe Vener. Jo. Laurent. MOSHEMII, huic editioni praemissis; licet in hac editione Or. de L. L. cultu desideretur. Ceterum usus atque fructus hujus libri in eo ponendus, ut, si quis scire cupit, quænam ratio scribendi pronuntiandique sit recta, num vocula, vel dictio pura latinaque sit, nec ne, hoc in compendio unoque libro, quem propter exiguum ejus molem ad manum habere inter legendum scribendumque possis, uno intuitu unaque opera videat, nec necesse sit, vel alias sexcentos maximaæ maximam partem molis evolvere, quod ipse B. Auctor in editionis primæ praefatione indicat, nullam sibi ex hoc labore laudem tribui cupiens, nisi quae in colligendo et vera a minus rectis discernendo versatur. Hinc non erat, quod fontes, ex quibus hauserat, nominatim quavis pagina indicaret, siquidem id scopo, quem sibi proposuerat, adversaretur, secus atque Auctori bus Commentar. Hamburg. P. II. A. MDCCXLV. videtur. Conf. Jo. Christoph. STRODTMANNI Osnabr. Gymn. Rectoris Meritiss. Geschichte jeztlebender Gelehrten Parte XI. p. 216. Additamenta hujus Lexici quamplurima in B. Viri scriniis latent.

II. Pre.

II. *Preces et Cantilenae, quibus lectiones publicae inchoantur, distinguuntur, finiuntur in Ducali Anna-Sophia-neo, quod Schenningae est. Helmst. 1721. 12. Recus. 1749. 8. apud Sal. Schnorrium pl. 3.*

De editione priori observandum est, quod praeter cantilenas et preces, a Serenissima Fundatrice, Anna Sophia, praescriptas, etiam hymnos aliquot contineat, a Jo. Noltenio, B. Rectoris avo compositos, easque preces, quibus alumni horas, ut vocant, Canonicas in Laurentiani Monasterii templo obeuentes, uti consueverunt. Editio altera hoc habet praecipuum, quod etiam psalmi Davidici hymnique Ecclesiastici accesserint, quos coenobitae latine canunt. Ne dicam de additionibus aliis quibusdam necessariis.

OPUSCULA MINORA.

I. *De Barbarie imminentे ad Patruclem suum Jo. Rud. NOLTENIVM, designatum Scholae Gardelegiensis Rectorem. Helmst. 1715. 4. pl.*

Caussae, quae politiori litteraturae occasum portendunt, in primis sunt, I. Humanitatis in scholis et academiis neglectus. II. Praematurus iste plurium ad academias abitus, quum parentes anxie ad vota prope-rant, et cruda filiorum studia ad altiora propellunt, eoque modo scholis inferioribus frequentiam adimunt, academias autem multis onerant hominibus, quos re-ctius



Eius cultores Vacunae, perdendo cibo natos, et remiges poculorum, quam bonarum artium studiosos vocaveris. Hi vix ante tres quatuorve hebdomadas tristi magistri ferulae manus subduxerunt, nec dum Aelii praecepsit satis imbuti sunt; et tamen eos saepenumero pro sacris rostris verba facere, ibique Chrysostomi laudem adfestare videmus. III. Propullulans iste in plurimis scholis latinae linguae neglectus. IV. Vanus et profanus iste in scholis docendi et gubernandi modus, negligetque bonae mentis cultura atque disciplina.

II. *Progr. ad Orat. de Baptismo Iohannis, a Jo. Frid. Spangenbergio, Clettenbergia-Holsteinensi, habendam invitans.* Helmst. 1718. 4. pl. 1. in quo de aqua initian-
di ritu apud antiquos ethnicos et Judaeos varia scitu jucunda adferuntur.

III. *De Libro Justorum ad Jos. X. 13. et II. Sam. I. 18. in memoriam duorum justorum, praematura quidem, beata tamen morte uno eodemque fere tempore extinctorum Chrysoph. Henr. RITMEIERI, Theol. D. etc. et Andr. Jul. BOETTICHERI, Med. D. etc. Helmst. 1719. 4. pl. 3¹.*

Libellus Justorum apud Judaeos sicut collectio lamentationum funebrium et quidem poëticarum in mortem magni cuiusdam herois, aut viri de rep. aut eccl. bene meriti, ita, ut, qui Jos. II. allegatur, volumen sit lesuum, honori pugnacis Josuae dictorum, et qui II. Sam,

Sam. I. adducitur, in mortem Saulis, pro patria fortissime occumbentis, confectorum carminum congeries.

IV. *Vita Jo. NOLTENII, P. L. Pastoris Timmerlagensis etc.* B. Rectoris Avi. Exstat in *Recens. Innoc.* 1720. pag. 975. seqq. Praemittenda haec vita erat Hymnis Eccl. metrice et rhytmice a B. Jo. NOLTENIO in lat. ling. translatis, quos in unum collectos B. Rector J. C. OLEARIO Arnstadium miserat, publici juris ut faceret, quod tamen nondum, quod scio, factum est.

V. *Progr. memoriae Frid. Pauli Job. MOERINGII, Duc. Scholae Schenning. Collegae, d. XV. Sept. MDCCXXVI. pie placideque defuncti, Rectoris et Collegarum nomine publice consecratum.* Helmst. 1726. 4. pl. I.

VI. *Disquisitio Epistolica de Erudita Inscitiae Theologo in primis necessaria, qua Theologo erudite inscio Jo. Bernardo SCHROETERO, Ser. D. Br. ac Lun. per Dioecesin Schenning. Superintendenti etc. novos eosque episcopales honores gratulatur J. F. NOLT. 1728. 4. pl. 3.*

Erudita inscitia illa ab Auctore definitur, quod sit habitus animi sapientis et modesti, vel de industria ignorare, vel non determinare volentis ea, quae vel certo fundamento destituuntur, vel nullum utilitatis fructum praefstant, vel Deus plane abscondidit, aut tot difficultatibus obsepto reliquit, ut in iis elucubrandis oleum, quod ajunt, et operam perdamus. Ea adhibenda est



in omnibus scientiis, in Mathesi, ubi de quadratura circuli et de perpetuo mobili quaeritur; in Chiromantia, et Astrologia; in Physicis et Metaphysicis; in disquisitione de origine mali; et scholasticorum tricis; in Historia et Antiquitatum monumentis; in doctrina de spiritibus; in S. Scripturae locis intellectu difficilioribus, in quibus omnibus multa sunt, quae miremur, neque vero rimemur.

VII. *Vita ac merita Sigism. Andr. CUNONIS, Redactoris, etc.*
d. XXVII. Sept. 1747. defuncti. Helmst. 1747. 4. pl. 4.

VIII. *Progr. de Lectione librorum ad comparandam erationem quidem necessaria, sed ad nonnullas prudentiae regulas sapienter moderanda.* Ad Orat. ab A. F. And. NOLTENIO, Wackerslebio-Magdeburgensi, et Ge. Henr. WEIGELIO, Steimia-Brunsvicensi, ex promta memoria recitandas, invitans. Ib. 1748. 4. pl. 2.

IX. *Progr. generatim breviterque ostendens, quo jure quae injuria controversiae nonnullorum futilitatis atque impeticarum postulentur; praemissum orationi, de ea elegantiores litteras discendi ratione, quae studiis academicis viraeque negotiali atque exercitiae conduce-re aliquando multum possit,* a Jo. Jul. Jac. WIEDWILT, ex promta memoria recitandae. 1749. 4. pl. 2.

X. *Progr. ad Or. Panegyr. qua Natalis Ser. Principis ac Dn. CAROLI, D. Br. ac Lun. a Lud. Hier. a WULFEN,* celebrandus indicitur, invitans. 1750. F. pl. 2.

Ita,

Ista, nec plura scripsit beate defunctus, quia ab inclinando studio, famaque πολυγενεῖας, qua plurimi fascinati sunt, tam alienus erat, quam qui maxime. Nec vero in Poetica etiam arte, in qua tamen excelluit, quae subinde vulgavit specimina, adeo multa conquerere potui; et si cum omnibus hārum rerum non imperitis vehementer optarim, ut poemata ab ipso facta junctim ederentur. Nonnulla quidem ex iis de exilio quasi suo revocavit, sedemque fixam iis adsignavit, passim per orbem vagatis, Vir maxime Rever. M. Jo. Tob. ROENIKE, Pastor Tilsena-Marchicus, in Recentiorum Poetarum Germanorum Carminibus Latinis selectioribus, Helmst. 1749. 8. vulgaris.

MSTA AD EDITIONĒM PARATA ET PERFECTA.

1. *Bibliotheca Latinitatis Restitutae s. Notitia eorum auctorum, qui post renatas litteras partim vitia linguae Lat. infectati sunt, partim nativam verborum vim et elegantiorem structuram explicuerunt; partim pure recteque dicendi praecepta tradiderunt; partim denique variis Criticis aut aliis eruditis observationibus ac salutibus laboranti Latinitati opem tulerunt.*
2. *Historia fundationis illustris Scholae Schenningensis s. Or. inauguralis ad aedes hujus scholae olim dedicatus, habita d. XI. Apr. 1741. in sollemni panegyri.*

F 2

BEA.



BEATO VIRO

HOC LESSV PARENTAMVS:

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
 Explicit, aut possit vulnera flere satis ?
Vulnera, quae nobis heu ! mors inflixit acerba;
 Si mors, nec potius saeva rapina fuit.
VIR ruit insigni laude, et successibus amplis,
 Qui praeerat nostrae lustra per octo scholae.
VIR cecidit, subito contactus sanguinis ictu,
 Clarus jam dudum nomine NOLTENII.
Qui, quidquid Graji, quidquid scripsere Quirites,
 Id studio tenuit mentis et ingenio.
Vnum momentum tollitque rapiturque, fideli
 Qui nostram rexit sedulitate scholam.
Vna fuit, quae TE vivum vegetumque videbat:
 Fato perfunctuna vedit et una dies.
 Dum ad studium formas juvenes, actoque labore
 Languida pertentas membra levare cibo.
 Sternutas subito, sternutandoque recumbis ;
 Nec refici medica lapsus ab arte potes.
 Adfilit, heu ! corpusque suo fibi carius ulnis
 Mollibus attollit, conterit atque fover
 Vxor cara VIRI, frustra conamur amici.
 Laberis, atque animus sanguis et omnis abit.

Labe-

Laberis ac auras vitales morte relinquis,
 Qui plures annos vivere dignus eras.
 Ingemit hinc Conjurx, te fortunata marito:
 Ingemit et Natus, Patris imago sui.
 Luget amica cohors, usu tibi cognita longo:
 Et schola funestis fletibus ora rigat.
 Nos quoque, quos junxit communis cura Lycei,
 Lugemus moesti tristia fata viri.
 Mens animusque idem nobis et mutuus ardor;
 Nec nostra est unquam sollicitata fides.
 Tam cari capit is nunc nos absentia torquet,
 Et leviora facit non nisi fata Deus.
 Quisnam prostratis adeo solatia ferret?
 Dura Deus solus fata levare potest.
 Tum quod saepe tuis cecinisti haec tristia fata;
 Nempe quod instaret mors nec opina tibi.
 Sic patiens operum rebusque adsuetus agendis:
 Sic doctis curis immoriturus eras.
 Utque mori voluit residens Venerabilis Abbas:
 Sic quoque Rectorem morte sedere decet.



F 3

Qui



Qui legis has lacrimas, natus quibus unicus urnam
Perfundit Patris, perfentis citque dolores,
Naturae intextos, et ineluctabile luctus,
His, quibus ingenium fletus minuere rapaces,
Da veniam citharē, similis non immemor urnae.

Adlabor, Pater, ergo tuis pallentibus umbris
Turbidus, impatiens artis. Mihi carior ipsa
Hac vita Genitor, cuius mihi nulla dierum
A meritis in me vacat aeternumque vacabit,
Accipe, quae natus fert manibus, ultima justa,
Extremumque Vale, singultibus interruptum,
Et monumenta tibi fido stata pectore nostro,
In quibus illa dies, fragilis quae corporis hujus
Jus habet, aeternum fatali jure carebit.
Scilicet illa tui, dum mens cupit odit amatque,
Dum memor ipse mei, patrii candoris imago,
Ille decor recti, pietas sine fraude doloque,
Impiger ornandi spartam pro viribus ardor,
Firma tenaxque fides et fallere nescia vita,
Observabuntur, veluti sacra pignora Patris,
His, quibus ipse mori vidi flevique Parentem,
His oculis, ad quos media jam morte natantes
Exhortaturus vita fugiente retorsit.

Hactenus - - impedior lacrimis - - Qui scire laboras,
Qualis erat Musis, quantusque docendo magister

In cathedris, Madere (*), tuis, ave, Paulle, tuisque
 I, tege, quae scripsit; de magna quaere cohorte,
 Quae gaudet Musis, olim patre usa magistro,
 Quaeque maris Veneti Latium colit accola Pindum.
 Si tibi testis erit major gens Italia nostra.

* Maderus. Magnus ille Anna-Sophiane apud Scheningenses
 Rector, toto eruditorum orbe clarissimus.

Piis manibus
 Desideratissimi Parentis
 has lacrimas
 litat
 unicus filius moestissimus
 JOHANNES ANDREAS NOLTENIUS.



erwarten. Wer T. ist? den C. versteht nicht der
Vorleser eines solchen Augenblicks; aber das
ist es, was er will. Ich kann es nicht
ausdrücken. Es ist eine Menge Wahrheit, welche
ich hier ausdrücke. Ich kann es nicht ausdrücken.
Ich kann es nicht ausdrücken.

W. ist ein

Deutschland für Freiheit

und Frieden

und

dem Frieden

des Friedens und des Friedens.

LOVANIA - ALEXANDER



No 3500

ULB Halle
006 312 489

3





DE
VITA SCRIPTIS ET MERITIS
**JOHANNIS FRIDERICI
NOLTENII**
LYCEI SCHENINGENS. RECTORIS
SCHEDIASMA
M. JOH. ARNOLD. BALLENSTADII



HELMSTADII
APVD CHRISTIANVM FRIDERICVM WEYGAND
MDCCCLV